UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1628. usque ad annum 1634

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118871

§. 80. B. Andreæ Corsini Canonisatio, & Cajetani Thienæi Beatificatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-67394

Visual Library

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

§. LXXX.

B. Andreæ Corſini Canoniſatio, & Cajetani Thienæi Beatificatio.

Hoc item anno Andreas Corſinus patria Florentinus, atque ex Carmelitarum Ordine Feſulanus Epiſcopus Sanctorum numerum auxerat: Hic anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo tertio, ætatis vero ſeptuageſimo primo die ſexta Januarii meritis plenus e vita migraverat, magnisque ac novis indies miraculis rite probatis clarus ab Urbano VIII. Sanctorum faſtis die vigeſima ſecunda Aprilis adſcriptus eſt. Demum Corpus ejus, quod Florentiæ in Ordinis ſui Eccleſia integrum aſſervatur, anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo tertio ad magnificentius Sacellum illuſtriſſimæ Corſinorum Familiæ, ex qua Sanctus originem traxerat, ſumptibus conſtructum die vigeſima quinta Septembris incredibili pompa transferebatur. Septima autem Octobris die ab eodem Pontifice Beatis Indigetibus annumerabatur Cajetanus Thienæus Nobilis Patritius Vicentinus longe celeberrimæ Congregationis Regularium Theatinorum Fundator, de quo Miſſam atque officium celebrandi facultatem indulſit Pontifex.

Bulla Canon. S. Andreæ. Bullar. magn. Conſt. 126. Urban. VIII.